

Heinrich Müller

**Programma Quo Universitatis Rostochiensis Rector D. Henricus Müller/ Theol.
Professor Ordin. ... Ad Cohonestandas Exequias quas ... Johanni Stein/ Ministerii
Rostoch. Seniori & ad Div. Nicolai Pastori emerito Vidua moestissima Hodie hora
I. parabit Omnes omnium Ordinum Cives Academicos sedulo serioq[ue] invitat :
P.P. XXIV. Nov. Anno M.DC.LXIII. Sub sigillo Rectoratus**

Rostochii: Kilius, 1663

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774672463>

Druck Freier  Zugang



Müller, H.,

in

J. Stein.

Rostock. (1663.)

40



PROGRAMMA
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
RECTOR
D. HENRICUS Düsser / Theol.
Professor Ordin. Facultatis suæ hodie
Decanus, & ad Div. Mariæ Pastor,
Ad
Cohonestandas Exequias
quas
PRO PL. Reverendo & Praclarissimo,
DN. M. JOHANNI

Stein/
Ministerii Rostoch. SENIORI & ad Div.
Nicolai Pastori emerito
Vidua mœstissima
Hodie hora I. parabit
Omnes omnium Ordinum Cives Aca-
demicos sedulo serioq; invitat.
P.P. XXIV. Nov. ANNO M. DC. LXIII.
Sub sigillo Rectoratus.



ROSTOCHII,
Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.



Oronagloriae est canities, in via iustitiae reperietur, inquit sapientissimus Salomon Prov. XVI, 31. Senectus alias infinita fere lecū fert incommoda, dies malitia, ut alibi inquit Salomon Eccles. XII, 1. Hinc aetas mala audit Plauto Rudent. act. 2. sc. 3. v. 7. malorum quidam portus Bioni apud Laertium, Aethna gravius onus Ciceroni de Senect. Vita hyems Maximo serm. 41. ara quedam malorum, ad quam confugisse omnia putaveris Antiphani apud Stobæum p. 2. ser. 117. commoda quedam imperfectio, que dum omnia habet, omnibus indiget Democrito apud eund. I. c. Ilias, thesaurus, panegyris & mare malorum quatuor Græcis apud Delrionem tom. 2. Adag. p. 450. ad quam, ut ad cloacam, mala cuncta confluunt, veluti loqui amat Comicus. Quid pulcri cernis in senectute, inquit Nyssenus in funere Pulcheria Augustæ; An pulcrum prurire ac friccare oculos? corrugari genas? ex ore destuere dentes, & linguæ balbutiem ingenerari? manibus subtermiscere? ad terram incurvare? titubare atque subclaudicare pedibus? ducibus inniti? despere corde ac delirare? voce absurdâ & inepta pronuntiare? Ast nihilominus coronam gloriosam canitiem appellat sapientissimus Regū omnium Salomon. Certe cani ipsi coronæ instar albentis ambient & exornant caput senum. Venerare, inquit Phocylides, canis redimita & coronata tempora senum. Et Philo Legat. ad Cajum; Aetas ipsa senem quasi defunctum laboribus & emeritum militem canis coronat. Quidenim aliud canities, quam floridum sertum? Non ab simile est Plutarchi,

chi, quod habet tract. an seni sit gerenda Resp. Ut diadema
Lex, sic canitatem Natura honoratum præcipue dignitatis symbolum
imponit. Veneranda est canities, quia divinitatis quoddam
simulacrum est. Inter juvenes senex est quasi Deus terrestris,
senumq; monita oraculorum instar habent & pondus. Æter-
nus Deus est, visus Danieli c. VII, 9. ut antiquus dierum, capil-
los habens candidos : Æternitatis ergo quoddam symbo-
lum senectus. Insensibilis Deus est, carens omni passione
& perturbatione; & senex, frigescente corpore, dominatur
perturbationibus animi, quibus flagrat sanguinea & calida
juventus. Rex est senex, si voluerit, & eo qui purpuram habet,
regalior, siquidem passiones animi vicerit, & rationi veluti armige-
geros subjecerit, ait Chrysostomus Homil. IV in Epist. ad Hebr.
Sapientissimus Deus est, & senectutem sapientia instar cibi
pascit & vegetat: Nam seris venit usus ab annis. Canities
Capiti quod vestit, variam maturamq; prudentiam inesse
subinnuit, sicut maturi pomi index esse solet putamen fla-
vum. De canitie loquor non solum annorum, sed & mo-
rum. Vere enim senectus illa venerabilis, que non canis solum,
sed meritis albescit, inquit Ambrosius l. III Epist. 21. Etenim ca-
nos honoramus, non quia colorem candidum nigro præferimus, sed
quia indicium est vita in virtute proiecta, & videntes ex hoc conji-
cimus interior em canitatem; si vero contraria senectuti gesserint, ri-
sui se exponunt potius. Nam & Regem honoramus & ejus purpu-
ram ac diadema, quoniam ista signa sunt principatus; si vero viderio-
mus illum cum purpura sua confusi, ab armigeris conculcari, in eu-
stodiā mitti, nunquid tunc veneremur diadema? nonne ipsum
schema ploramus? Noli ergo propter canos velle honorari, quando
ipse illos contumelia afficis: nam & ipsi ulcisci se debent, quoniam
schema splendidum adeo & honorabile confundis, verba sunt Chry-
sostomi homil. IV in Epist. ad Hebr. Nec tantum senem ca-
nities, sed & canitatem gloria ut plurimum coronat. Eve-

A 2

huntur

huntur ad dignitates, præficiuntur Rebus pp. gubernandis
ii qui ætate sunt proiectiores. Nec male: Matura enim ætas
maturorum mater est consiliorum. Ad parendum, inquit Plu-
tarctus l. c. *juvenilis*, ad imperandum *senilis* atas accommodata
est: ac maxime salva est civitas, in qua senum consilia & juvenum
arma obtinent. De senectute loquor, quæ laudem habet sapien-
tiæ Nam sapientiam, velut umbra corpus, securatur gloria:
stultum, ut ut senem, adeo non condecorat, ut dedecoret po-
tius & ludibrio exponat. Gloria, quæ vitiosis datur, ipsis da-
tur vitiis, & à virtutis studio quamplurimos avocat. Egregie
Æschines apud Stobæum serm. de Rep. Hoc, inquit, reputare,
quod si honores & munera paucis, eisq; condignis & secundum leges
contuleritis, multos vos habituros esse pro virtute certantes: si autem
cuilibet cupienti, & his qui nihil egregium fecerint aut sapuerint,
gratificemini, frugi etiam ingenia corrupturos. Virtutis ac sa-
pientiæ gloria merces esse debet. Vis exempla? accipe. Al-
fonsus Arragonum Rex, cognomento sapiens, amico sva-
denti ut tranquille viveret, voluptatibus sese dederet, nec
tot periculis objiceret, respondit; Romani honoris Templum
virtutis templo junxere, in quod nisi per virtutis templum introire
nemini licebat, ut significarent ad honoris fastigium non voluptatis
via, sed virtutis, illa quidem aspera & salebrosa enitendum esse, ut
habet Panormitanus lib. I. de gestis Alphonsi. Rogatus An-
tisthenes, quæ res urbi exitium portenderet? responsi loco
dedit, cum nullum est bonorum & malorum discriminem. Utinam
hæc ad animum admitterent suum ii, quibus potestate
Deus fecit conferendorum honorum & munium, conceden-
dorum titulorum & graduum! qui dum asini caput nitro la-
vant, næ! quam nocent & sibi & Reipb. & bonis omnibus.
Stultus ac improbus ad clavum positus dum gloria sua ad
fastum abutitur, sibi; dum alios premit & opprimit, aliis;
dum Rempb. expilat, & in eam vitiæ sua transcribit, Reipb.
nocet.

nocet: in juvenibus primos virtutis ardores hebetat ene-
catve, in viris vero maturos jam virtutum fructus corrumpit. Non sufficit dicere; Hic gravis annis est, hic canis vestitus, hic promovendus. Corona gloriæ canitiem cingens
in via justitie querenda, nec nisi iis imponenda senibus, qui
per adolescentiam virilesq; annos industriam justitiae Deo
placenti navarunt operam. Quos inter, dum viveret, fuit
Vir pl. Reverend⁹ & Clarissim⁹, DN. M. JOHANNES Stein/
Ædis Nicolaitanæ Pastor emeritus, Venerandi Ministerii SE-
NIOR laudatissimus, Collega & in Christo Frater quondam
conjunctissimus, nunc eheu! desideratissimus; Vir, cuius tem-
pora canities, non annorum tantum, sed & morum; cani-
tiem gloria, non vana, sed vera, & nunc quidem cœlestis
coronavit. Prodiit is in lucem Anno Domini MDLXXIX,
ipso Friderici die, animi pacis studiosissimi præsago. Paren-
tibus natus est integerrimis, Patre HANS Stein/ Urbis hu-
jus Cive & Cerevisiario spectatissimo; Matre ANNA Denen,
Fœmina pietati ex animo dedita & sexus sui ornamento. Na-
tus in peccato, quod omnibus connascitur, ut renascere-
rur ex aqua & Spiritu parentum princeps cura fuit, ne filius
iræ æternū periret, secus ac faciunt ii, qui de salute libe-
torum parum solliciti, in utramq; favissime indormiunt
aurem & dum conviviis laute apparandis dant operam, sine
tinctura sacra eos denasci non sine scandalo faciunt, latro-
num digniores quam parentum nomine. Renato per Ba-
ptismum SENIORI nostro ad Pietatis & virtutum culturam
tum monitis doctores, tum ductores exemplis fuere paren-
tes optimi, non ignari ceræ instar esse mentem humanam,
cui quicquid in prima ætate in primas, accrescentibus annis
postea in & ex ea relucere videoas. Cum anni ejus de die
in diem incrementum sumerent, informandus traditus est
B. DN. PAULLO TARNOVIO, tunc temporis Scholæ op-
pidanæ

pidanz Rectori, dehin in Academia hac Doctori & Profes-
sori Theologo meritissimo, qui & doctiori & meliori paren-
tibus redditio flosor fuit, ut Stralesundum iret, literisq; ibi-
dem addiscendis strenuam porro navaret operam. Vocem
Præceptoris vocem Dei ratus Stralesundum abiit, ibidemq;
aliquot annis substitut, & ut nisi literis instructior ad suos re-
diret accurate curavit. Patriæ redditus, non sine ingenti
animi dolore utrumq; parentem cum morbo conflictari
acerbissimo, & post triduum fuisse vidit. Parentibus orba-
tum & sibi adscivit DN. M. JOH. KORFF Consul
Reip. Rostoch. bene-meritus, cumq; filiis suis dedit infor-
matorem, quorum studiis provehendis dum incumberet,
sua non neglexit, sed ea sub informatione publica Trig^z
Virorum Theologorum celeberrimæ D. LUCÆ BACMEI-
STERI, D. VALENTINI SCHACHTII, & D. DAVIDIS LO-
BECHII, promotum ut iret omnem movit lapidem. Nec
contentus hos audisse, desiderio invisendarum aliarum
quoq; Academiarum flagrare cœpit; Quapropter satisfa-
cturus sibi una cum PETRO Drevenstät / cui in hoc itinere
Ephorus adsignatus erat, recta contendit Lipsiam, Witteber-
gam, Jenam, & Jenā quidem, postquam ab Acutissimo Theo-
logo D. ALBERTO GRAWERO hospitio exceptus aliquot
menses ibi exegerat, perlustratis in transcurso primariis ci-
vitatibus imperialibus, Argentoratum delapsus est; Reversurus
in patriam Academias Tübingensem, Gießensem & Marpurgensem
salutavit, seq; in dulcissimam non minus quam utilissi-
mam Theologorum celeberrimorum, præprimis B. D.
FEWRBORNII conversationem insinuavit. Patriæ redditus
& Anno 1616. circa Festum Paschatis concordibus Am-
plissimi Senatus & Parochialium Nicolaitanorum suffragiis
edis Nicolaitanae Diaconus electus, Cœlo sic disponente, con-
nubiali fœdere sibi junxit Virginem floridissimam, MAR-
GARETAM,

fol. 16 verso secundum

GARETAM, Viri Admod. Reverendi & Excellentissimi, &
p̄v̄ c̄r̄ p̄ḡios, DN. DAVIDIS LOBECHII, Theologi Doctoris
& Professoris in hac Univers. uti & ad Div. Jacobi Archi-
diaconi bene-meriti, filiam, nunc viduam moestissimam;
Conjugium fuit in annos XLVII pacificum, & usq; eo fo-
cundum, ut novem inde utriusq; sexus liberi in hanc mun-
di scenam prodierint; ANNA, DAVID, URSULAI,
CHRISTINA, MARGARETA, JOHANNES, VALEN-
TINUS I, VALENTINUS II, URSULA II. Quatuor ho-
rum teneriori statim ætate cœlo reddit. JOHANNES,
quem scipionem sibi destinarat ~~in Kongregatione~~ noster & sene-
cūtis solatium, ætatis suæ anno XXII præpropero abruptus
fato inter vivos esse desiit. ANNA superstites inter filias
natu maxima Anno 1640. PETRO Küstern / Civi ac Cerevi-
sario nuptum data Beatum nostrum Seniorem SEPTEM
filiorum & TRIUM filiarum Avum fecit, ex quorum nume-
ro tribus fato functis, septem reliqui præsentes Avi charis-
simi mortem acerbissime lugent. Filiorum natu maximus
DAVID, judicii oppidani, quod est Svverini, Secretarius,
adscita sibi Anno 1646. tori socia fœmina lectissima ANNA
Bergmans / Beati Danckeri, institoris, dum viveret, Gustro-
viensis superstite Vidua, clapsō decennio, Anno 1658. na-
turæ debitum exsolvit, nullis post se relictis hæredibus. Fi-
liarum altera MARGARETA Anno 1650. in torum veni-
ens Viri Reverendi & Clarissimi D N. M. THEOPHILI
Großgebauren / Diaconi ante paucos annos ad Div. Jacobi
bene-merentis, nunc beati, maritum SEX liberorum pa-
rentem fecit, filiorum trium totidemq; filiarum. Promise-
rat sibi abs felicissimo hoc Conjugum pari levaminis mul-
tum, multumq; solatii SENIOR noster, sed avocato Anno
1661. per mortem utroq; & cælitibus annumerari cæpto spe
omni, non sine consternatione animi, excidit. Erexit ta-
men

men animum, novoq; spei robore suffulcavit matrimonium, quo Filius ejus VALENTINUS II Anno 1662. sibi juxxit Fœminam pietati cordicitus addictam, & virtutum omniū consummatissimum quoddam exemplar, DOROTHEAM Prisbaurin/BERNHARDI BALTHASARIS Echarffenberges/ p.m. Civis apud nos Primarii & Cerevisiarii industrii superstitem viduam, quæ ipsum Filio mellitissimo JOHANNE JOACHIMO, cui vitæ prorogationem, virtutumq; ac pie-tatis incrementum apprecamur, exhilaravit. Anno 1636. Pastoratus Templi Nicolaitani ex voto omnium SENIORI nostro cessit, in quo eum se præstítit, quem præstare juxta normam verbi divini decebat. Doctrinam salutarem gregi suo proposuit, eamq; vita integræ exornavit. Accessit Anno 1649. novum honoris augmentum, cum svasu DN. JOHANNIS LUTTERMANNI, Comitis Palatini Cæsarei & Reip. Rostoch. Consulis Lauream, eximiis Poëtis debitam, sibi imponi, non sine laude, passus est. Senio confectus, & tan-tum non enectus, labores omnes, etiam improbissimos nou sifferre tantum, sed & superare sibi visus est, quæ res fecit, ut curas suas cum quoquam dividere, aut quidquam one-ris sibi impositi in alium devolvere omnino renuerit. Mi-nisterii Rostochiensis, post abitum Viri pl. Reverendi, Amplissimi & Excellentissimi DN. CASPARI MAURITII, Theologi Doctoris & quondam apud nos Professoris cele-berrimi, Superintendentis meritissimi, nunc Pastoris ad Div. Jacobi apud Hamburgenses vigilantissimi, Compatriis honoratissimi, Amici conjunctissimi, & æternum vene-randi, Praeses quot exantlaverit labores, quot devora-verit molestias, quot concoxerit injurias, ab iis, queis tur-bas dare & lites ferere in delitiis est, illatas, novit is qui omnia novit, ut ex re & vero Viro Beato hoc tribuas elogium, quod fuerit *Vir incomparabilis patientia, qualem esse*

esse decebat DEI servum juxta aurum Pauli monitum II
Cor. VI. Candori capit is candor animi junctus erat eximius,
quo frontem nunquam ab interno pectore dissidentem ex-
hibebat, secus ac in ipso Clericorum ordine multi, qui blan-
dientes fingere vultus, mel merum loqui, & amara præ-
cordiorū delenificis mutare sermonibus ex ase didicerunt.
Pacis erat observantissimus, & turbis sedandis, litibusve, si
quæ essent exortæ, in prima herba suffocandis valde occu-
patus. Sed quid mari guttula? quid solifacula? frustra desu-
do in congerendis laudibus Viri, laudem omnem superan-
tis, & cui non laudari, sed laudanda facere semper cordi
fuit. Quod ad obitum Viri laudatissimi attinet, ante ali-
quot hebdomades catarrho suffocativo correptus & tantum
non oppressus est, qui cum vires indies sumeret, noluit res
mediis etiam generosis cedere, sed eo usq; invaluit, ut d. 2.
Novembr. prosterneret in lectum Virum jamdum in senili
quodam languore & exspirantis sensim vitalis flammulæ
agone constitutum. Lectum premens salutari Sacrae Cœnæ
epulo pauci voluit, & d. 4. Novembr. per Collegam suum,
Virum Reverendum & Clarissimum, DN. M. REMBERTUM
Sandhagen / Ecclesiastem Nicolaitanum vigilantissimum,
Affinem & Collegam pl. dilectum, pastus est; almonia Spi-
rituali refectus Deilaudes cecinit carmine quodam, quod
ipse scripserat, eum in finem adhibito; Placuit ut ad peti-
tum mæstissimæ Viduæ & liberoru verbotenus insereretur;

Ultimum suspirium MIS PAN.

I.

Ach! Herr der du hast gegeben
Mir das Leben /
Und erhalten lange Jahr!

B

Durch

Durch die Tauffe lassen kommen,
Vnd genommen
Auff in deiner Kinder Schaar.

2.

Hast durch deinen Geist gegeben
Mir zu leben
Stet's in deiner Furcht und gnst/
Im Gelauben auch erhalten
Der gestalten
Das mein Lauff nicht ist umbsonst

3.

Hast mich auch viel lassen leiden/
In den Feiden
So ein Christ hie halten thut
Mit dem Teuffel / Welt und Lüsten/
So sich rüsten/
Stetes wieder das Gemüth.

4.

Ach wenn wirstu meine Seele
Aus der Höle
Dieses Leibes fordern ab/
Vnd die vast erstorbne Glieder
Legen nieder/
Sanft / zu Ruhem / in das Grab:

5.

Hab ich doch durch deine Güthe /
Dein Gemüthe
So gespüret gegen mich / Das

Das ich kan im friede fahren/
Zu den Schaaren/
Die dich preisen ewiglich.

6.

Ach! nimm weck aus meinem Herzen
Todes Schmerzen/
Aus der Seelen Angst und Noth/
Komm doch mit dem seelgem Ende
Mir behende/
Als der Schlaff und nicht der Tod.

7.

Hab ich doch dein HEIL gesehen/
Wie geschehen
Die Erlösung sey durch Christ/
Durch sein Leiden / Tod und Wunden/
Vnd entfunden
Dar aus Freud / die in mir ist/

8.

Nun / darumh so las mich fahren
Zu den Schwaren/
Die schon siehn für deinem Thron/
Vnd das Lied des Lammes singen/
Nach dem ringen:
Vnd empfangen ihre Krohn.

B 2

Die

abijt.
Die 15. Novemb. circa vesperam , illapsa pectori cælitus
guttula quadam dulcedinis divinæ , mundo valedicturus
cantiunculas suas cygneas intonuit; Jesu meine Freude &c.
Herklich thut mich verlangen &c. Ich weiß / das mein Erlöser lebt.
Finitis hisce & deficientibus sensim tum internarum , tum
externarum partium viribus , (quæ tamen menti ad ipsum
mortis articulum constabant plenissime) sub ingenti animi
deliquio preces sibi præeuntem Collegam suum attente au-
dit, expressâq; vocula AMEN fiduciam suam contestatus
est, donec d. 16. Nov. hora 10 matutina placidissime in Do-
mino , non tam moreretur , quam obdormiret. Nostrum
fuerit, GIVES ACADEMICI, Viro etiam post fata vene-
rando promissimas & frequentissimas ire exequias. Exigit
id omnino Pietas & Integritas, exigunt egregia Viri in
Ecclesiam merita. Quod ut fiat, ego tum publica
voco rogo, tum authoritate hortor.

Convenietur hora I. in Aede Nicolaitana.






Universitäts
Bibliothek
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn774672463/phys_0020](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774672463/phys_0020)

DFG

fig. missa sum gratias

GARETAM, Viri Admod. Reverendi & I
vivū ex æquo, DN. DAVIDIS LOBECHII, TI
& Professoris in hac Univers. uti & ad D
diaconi bene-meriti, filiam, nunc vidua
Conjugum fuit in annos XLVII pacificu
cundum, ut novem inde utriusq; sexus lib
di scenam prodierint; ANNA, DAVI
CHRISTINA, MARGARETA, JOHAN
TINUS I, VALENTINUS II, URSULA II
rum teneriori statim ætate cœlo redditi.
quem scipionem sibi destinarat ~~o magistrum~~
autis solatium, ætatis suæ anno XXII præ
fato inter vivos esse desiit. ANNA sup
natu maxima Anno 1640. PETRO Küster
fiario nuptum data Beatum nostrum Seni
filiorum & TRIUM filiarum Avum fecit, e
ro tribus fato functis, septem reliqui præ
simi mortem acerbissime lugent. Filioru
DAVID, judicii oppidanī, quod est Svve
adscita sibi Anno 1646. tori socia fœmina
Bergmans / Beati Danckeri, institoris, dum
viensis superstite Vidua, elapsa decennie
turæ debitum exsolvit, nullis post se reliqu
liarum altera MARGARETA Anno 1650
ens Viri Reverendi & Clarissimi D N. M.
Großgebäuren / Diaconi ante paucos anno
bene-merentis, nunc beati, maritum SI
rentem fecit, filiorum trium totidemq; fi
rat sibi abs felicissimo hoc Conjugum pa
tum, multumq; solatii SENIOR noster, S
1661, per mortem utroq; & cælitibus annu
omni, non sine consternatione animi, ex



the scale towards document

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 0211